



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XXXIII. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio, &c. Carm.
gen.17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Orabit, huic pacem & ueniam dabit,
 Non durus unquam parcere supplici.
 Recti tenaces simplicis, & quibus
 Est grata fraudum nescia ueritas,
 Fauente læti numine gestibus
 Et uoce uestrum pandite gaudium.

PSAL. XXXIII. *Exultate iusti in Domino:
 no: rectos decet collaudatio, &c.*

Carm. gen. 17.

VOs quibus puræ est amor æquitatis,
 Læti pangite carmine
 Orbis auctorem Dominum: æquitatis
 Hoc carmen decet æmulos.
 Tinniat blando chelys hunc susurro,
 Hunc uocalia nablia,
 Docta bisquinis resonare neruis:
 Hic artem manus approbet.
 Huic novos cantus meditemur: uni
 Læti clangite buccina.
 Nam fides dictis rata ueritasq; est,
 Et factis comes æquitas.
 Quippe qui iusti est & amator æqui, &
 Veri fallere nescij:
 Perq; terrarum sola uasta notæ
 Cunctis munificentia.
 Is suo nutu sinuauit orbem
 Lucentem nitidi ætheris:
 Quicquid & puris radijs renidet
 Campis ætheris igneis.

D v

Littus arctauit maris in quieti,
Compressitq; licentiam:
Et penu clausas sinuauit undas,
Vnde in tempore promeret.
Hunc & occasus metuant & ortus:
Hunc unum Dominum colat,
Quisquis extremos ubicunq; fines
Terræ, aut æquoris accolit:
Cuius à nutu uiget, interitq;
Quodcunq; interit, aut uiget:
Cuius immotis tremefacta parent
Cuneta obnoxia legibus.
Qui malas artes populi profani
Ludit callidior suis:
Et suo iniustæ scelerata turbæ
Fraudat consilia exitu.
At quod arcana sibi mente rerum
Auctor proposuit semel,
Dum dies & nox referent se in orbem,
Vsq; immobile permanet.
O quater, plusquam quater ô beatos,
Patronus quibus est Deus!
Quos sibi excepit, propriamq; sortem
Quos dici uoluit suam.
Despicit mundi pater è beata
Cæli stelliferi domo,
Eque tranquillis adytis, labores
Et curas hominum uidet.
Quippe qui cæcos animi recessus
Humani fabricauerit.

Nec

Nec quod arcano latet in recessu
 Clausum pectoris hunc latet.
 Sperat in cassum numero tyrannus
 Se tutum fore militum:
 Sperat in cassum ualidis lacertis
 Se miles fore sospitem.
 Sape spem fallit præeuntis Euros
 Bellatoris equi fuga:
 At Deus iustos oculo irretorto
 Semper respicit & pios:
 Mortis ut uertat iacula imminentis,
 Diram & sæuitiam famis.
 Vna spes nobis opis hinc, ab uno
 Certum præsidium in malis.
 Ille perfundet sibi dedicata
 Dulci pectora gaudio:
 Ille fidentum sibi spes precesq̃
 Lætum ducet ad exitum.

PSAL. XXXIIII. *Benedicam Dominum.*

etc.

Carm. gen. 3.

SEu læta fors e fouerit, seu tristior
 Vexarit, omni tempore
 Laudabo Dominum, semper illius meum
 Os personabit laudibus.
 Mihi hæc uoluptas, hoc erit solatium,
 Mihi hoc leuamen in malis.
 Meoq̃ turba tristis exemplo suas
 Solabitur molestias.
 Vnà agite cuncti prosequamur laudibus
 Nomenq̃ numenq̃ illius.

Ille